Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Theses juridicae inaugurales

https://hdl.handle.net/1874/322635

THESES

JURIDICAE INAUGURALES.

17.

THESES

JURIDICAE INAUGURALES,

QUAS,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

PETRI JOHANNIS ISAÄCI DE FREMERY,

MATH. MAG., PHIL. NAT. MED. ET ART. OBST. DOCT., ET PROF.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN JURE ROMANO ET HODIERNO

HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

JOHANNES VAN WIJNGAARDEN,

Ex urbe Willemstad.

AD DIEM XXVI M. JUNII ANNI MDCCCXLVIII, HORA III.

Trajecti ad Rhenum,

APUD W. C. SPOOR.

MDCCCXLVIII.

THESES.

I.

Si Jure Romano testator legaverit rem alienam, quam ignoraverit alienam esse, valet tamen legatum, si tali reliquerit personae, cui verisimile est, quovis modo legaturum fuisse.

II.

In legato rei communis, si testator simpliciter dixerit: *fundum*, non addito verbo *meo* aut *qui meus est*, tantum portio quae testatoris fuit, debetur.

III.

In codicillis testamento confirmatis Justinianus etiam testes exegit.

IV.

Mulier testis neque in codicillis potest adhiberi.

V.

Emphyteutae, in casu insolitae sterilitatis, non est praestanda remissio canonis, uti in simili casu, conductori mercedis remissio praestatur.

VI.

In antinomia inter L. 3 § 10 D. de jure fisci et § 39 Inst. de rer. div., Digestorum sententia mihi praeferenda videtur.

VII.

Liberi naturales matrimonio putativo legitimantur.

VIII.

Mulier manu militari (contrainte par corps) cogi nequit ut una cum marito habitet.

IX.

Inquisitio quis pater sit vetita est etiam contra liberos.

X.

Si pater materve, e priore matrimonio liberis procreatis, ad secundas vel tertias transierit nuptias, portionem quam filius vel filia habet minorem, art. 236 iis concessam, non singuli vel singulae quisque pro se habent, sed ea pars ad omnes conjuges pertinet.

XI.

Recte rescissio propter laesionem enormem quae secundum Cod. Civ. Fr. locum habebat, in nostro non est recepta codice.

XII.

Melius quam Francica lex nostra hypothecam privilegio praeposuit.

XIII.

Inter Neerlandos non recensentur liberi e peregrinis nati in nostris coloniis, etiam si ibi sedem capiant.

XIV.

Donationes titulo oneroso latitantes etiam collationi (inbreng) sunt obnoxiae.

XV.

Machinarum in fabricando usus non nocet, sed magnopere prodest.

XVI.

Systema prohibitivum, quod vocant, industriae nocet.

XVII.

Nautae, in itinere vel officio in morbum lapso, eamque ob causam post navis reditum in patriam reduci, ex art. 426 Cod. Merc. merces debetur usque ad diem quo rediit.

XVIII.

Art. 4 Cod. Merc. navium non vero aliarum rerum redemptiones spectat.

XIX.

Non facio cum dicentibus injustum esse quod in art. 226 Cod. Merc. in pecunia apud dispensatorem (kassier) deposita privilegium concedatur iis qui ejus rei nomina teneant.

XX.

Quod in art. 136 Cod. Merc. dicitur constitutionem art. 138 fere infirmat.

XXI.

Grotii, opus cui titulus de Jure belli ac pacis, scribentis finis ac consilium fuit exponendi principia non juris naturalis, verum juris gentium ac publici universalis.

XXII.

Non excusandus est maritus qui in adulterio cum uxore deprehensum patrem sciens occiderit.

XXIII.

Incestuosi et adulterini non possunt rei fieri parricidii.

XXIV.

Conatus bigamiae puniri nequit.